



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Peculiaris eorum gaudij causæ nonnullæ proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

1. 2. diff. 11. *sect. 3.* Sto Thoma ait Suarez noster; non est inconueniens, etiam alijs Sanctis, ob causas alias dari specialia præmia, quamvis illa tria in hoc genere sint potissima, & ideo singulariter numerentur.

Atque his quæ dixi confirmandis, subservit similis S. Gertrudi à Christo insinuata cogitatio: Perpenderet quantâ familiaritate adhibeatur à Rege, qui ei in omnibus præ alijs maximè assimiletur, quantâque commoda, honores, gloriam inde reportet. Sic enim haberet: qui aduersorum patientiâ ipsi Christo similiores effecti essent, hos præsertim illi charos futuros, & pro toleratis ejus imitatione laboribus, specialibus solatijs, & gloriâ in cælo donandos.

§. 2.

Peculiaris eorundem gaudij cause nonnullæ proponuntur.

JAM quid de peculiari gaudio dicam, quo præclari crucis & Crucifixi sectatores, vel eo respectu in regno cælesti cumulandi sunt; quod Christi amore multa acerba pertulerint in vita, atque adeo præ multis alijs ipsi Crucifixo similiores effecti sint, ejusque imaginis propriâ quâdam ratione conformes? Si enim etiam mortali carne circumdati, cum eos malorum sensus premeret, omnibus tamen incedebant lætitijs, quod digni haberentur quiddam pati pro Christi nomine, atque, ex Apostoli Jacobi monito, afflictionem eâ gratiâ susceptas, omne gaudium existimabant: quantâ eam ob rem voluptate illos perfundi oporteat, quando jam abstersâ omni lacrymâ, & luctu doloreque longè submoto, solos percipient dolorum suorum fructus suavissimos, & immenso clariùs conspicient, quantæ gloriæ & dignitatis atque felicitatis sit, pro Christi amore & gloria, omnibus utgeri & consistari adversis.

Quò spectare potest, quod B. Petrus admonet: *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in revelatione*

Ab. 5.
Jac. 1.

gl.

gloria ejus gaudeatis exultantes: Subdens, in opprobrijs pro Christi nomine toleratis, summam beatitatem atque honorem consistere. Quod illi in caelo liquidissimè pernoscentes, ita scilicet afficiuntur animis, ut si qua beatas illas mentes invidentia tangeret rerum nostrarum, id unum profectò possint invidere mortalibus, quòd etiamnum nobis liceat dura sufferre dilecti nostri gratià, quod illis jam concessum non sit, ipsà statùs sui conditione, ab omni malorum nostrorum contagione subductis.

Quis porrò vel etiam cogitatione assequatur, quanta quàmque dulcis, ex desiderato Redemptoris sui conspectu, illis obventura sit lætandi gratulandique materia? cum eum videlicet, quem ut opprobrium hominum, ut virum dolorum & quasi leprosum, atque attritum propter scelera nostra, assiduà meditatione in vita contemplati fuerant, & jugi dolore atque ploratu desseverant; eundem nunc ut gloriæ Regem in decore suo videbunt, formosum in stola humanitatis suæ, incredibili gloriâ ac delitijs circumfluentem, & beatissimâ florentem immortalitate. Aut cum amabilia ejus vulnera, quæ inter labores & fastidia humanæ vitæ, eis fuerant solatia dolorum, & piarum curarum diversoria; nunc in totidem cœlestes pyropos conversa aspicient, aut velut præclaros immortalis luminis fontes, sparso quaquaversum fulgore quodâ amabili, civitatem Dei lætificantes?

Si enim, ut cum Joanne Thaulero commentatur Lætiensis Abbas, & nos parte 3. indicavimus: *hæc quinq; vulnera beatissima, plus pulchritudinis, lætitiæ & claritatis toti cœlesti curiæ conferunt, quàm omnia alia, quæ in vita perenni (exceptâ divinitate) habentur:* vel, si ex quorundam Theologorum sententia, sacratissima Christi humanitas, & præfertim ejus beatissimæ cicatrices, etiam physicâ ratione, futura sunt divinitatis instrumenta ad productionem ejus Luminis, quo beatæ mentes ad Deum clarè conspiciendum felicif.

E e e e z

licif.

Expl. pass.
c. 19.Recup. t. 1.
r. p. l. 6. q.
19. &c.

licissimè perfunduntur; in quem utique sensum accipiunt, quod Apocalypsis 21. dicitur, cœlestem Jerusalem claritate Dei illuminari, & lucernam ejus Agnum esse, qui, retentis plagarum suarum cicatricibus, etiam istic stet tanquam occisus; proindèq; eorundem gloriosorum vulnerum, veluti perennium divini luminis scaturiginum, conspectum, secundùm divinam essentiam, potissimum fore beatitudinis argumentum. Si hæc, inquam, ita se habeant, quis eos dubitet, in lætitiæ hujus ac felicitatis partem præcipuo jure ac ratione esse venturos, qui in vita mortali Jesum crucifixum continuò præ oculis habuerint; atque specialius potandos de fontibus Salvatoris, qui in sacris illis vulneribus, uti probè notis ac familiaribus diversorijis, consiverint jucundè assidueq; commorari?

Idq; ante omnia de amantiſſimo Christi corde dicendum est: ex quo, tanquam è loco voluptatis egreditur præsertim ille fons vitæ, & lætitiæ fluvius omnem irrigans Paradisum cœlestem. Qui enim etiam in his tenebris arumnisque positi, cum perfossum Domini latus ac vulneratum cor ejus sanctâ meditatione subintrarent, in eo (ut alibi diximus) cœlum ac Paradisum inveniebant, hoc est, sedem atq; officinam ineffabilium & inestimabilium deliciarum: quid tunc reperturos & experturos esse credimus, cum absoluti vinculis hujus mortalitatis, libero volatu in arcanum illud divini cordis domicilium sese inferent (veluti visa est S. Gertrudis morientis anima rectâ involare in ipsum cor dilecti sui) puris jam atque impermixtis inebriandi voluptatibus, eamq; habituri, non uti antea, temporariam peregrinationum quietem, sed æternam lætantium habitationem.

Ista sanè, animæ olim Crucifixo devotæ, nunc autem modo ineffabili in ipsum Christum gloriosum transfusa, secreta ac terris incognita gaudia, quæ hisce figuris allegoriciſve, ad eorum aliquam suspicionem faciendam, adumbr-

Vita c. 13.

bramus, ita sensum omnem ac mentem humanam exuperant, ut nec eos arbitrer, qui ijs intimè in cœlo perfundi se sentiunt, ut pro dignitate à nobis intelligantur, dicendo efficere posse. Quid si tot tantisq; gaudijs & illa addatur non exiguæ voluptatis accessio; quam istic capient crucis amatores, ex amœnissimi vitalis ligni, ipsius inquam Dominicæ crucis aspectu? si ea quidem (ut quibusdam placere vidimus) in fine mundi rediviva cœlis inferenda est, ibique ævo sempiterno perennatura? Nam sub cujus umbra ab æstu sæculi respirare ac interquiescere fessi solebant, aut amore languentes dilectum suum suspirare, aut denique gemere dulciter, seu vitæ mortalis tædio, seu desiderio dilatæ felicitatis; triumphabunt enimverò gaudio, cum eam quam adhuc mundo contemptam atque abjectam, ut sponsam charissimam adamaverint, spectabunt splendore circumfusam inenarrabili, & immortalis decoris ac gloriæ admirabilitate, omnium oculos animosq; ad se rapientem.

Sed de his nimirum plura principio diximus, cum incitamenta proponeremus præsentis exercitij; quæ tametsi ipso suo genere beatis omnibus futura sunt universè communia, ad eos tamen, ut dicebamus, singulari quodam modo & cæteris incognito pertinebunt, qui sese in vita Christo crucifixo propiùs conformare studuerint, & quorum circa Domini crucem & plagas amabiles, tota fuerit occupata devotio.

§. 3.

Hujus capituli, totiusq; tractatus, extrema conclusio.

HÆc igitur probè intelligentes, & tantam mercedem crucis amatoribus repositam spe & cogitatione præcipientes, assurgamus animo, & cunctis quæ obstare possint superatis atq; contemptis, in Redemptoris nostri passione recolenda atq; imitanda, totâ animi devotione exerceamur. Delectet nos JESUM crucifixum assiduè recogitare, eum amare, de ipso loqui, cum ipso agere, circa ipsum occupari;
& nunc